

BRANDEBURGENSIS MARCHAE DESCRIPTIO.



BRANDEBURGICVS MARCHIONATVS.



ARCHIONATVS BRANDEBURGICVS extenditur in longitudinem ad 1x. millia Germanica. Ab Occidente finitur Saxonia, Misnia, & Megalopolensium regionum limitibus. A Septentrione Stetinos, Pomeranos, & Cassubios respicit. Poloniam & Sileciam versus Orientem Solem contingit. Bohemiam, Lusatiam, & Morauiam habet à Meridie. Diuiditur in antiquam, Mediam, & Nouam. Comprehendit hic Marchionatus quoque in se Dominium Cotibufij: in Inferiore Lusatia, Peilzj, Bescoiuz, & Storkouia; Ducatum Crofci, in Silesia; Comitatum Ruppini, Stolpij, & Vieradij. Habet quoque regiunculam Prignitz. Habet & tres Episcopatus, Brandeburgensem scilicet, Hauelbergensem, & Lubusium in Media Marchia situm. Item vltra Oderam fluium Sternebergum urbem & regiunculam. Incipit Marchia antiqua à Solitudine quam Luneburgensem cognominant, & ad Albim fluium vsque protenditur. Confinia item habet cum Magdeburgensi, Halberstadenfi Diocesis, & Megalopoli. Huius incolæ olim fuere Senones Sueui, nec non alicubi Angriuarij cum Teutonibus. In hoc tractu sunt septem non parui nominis vrbes, hæ nempe, Tangeramonda ad Albim, quo Angra vel Tonagra aquam suam enomit, sita; quondam Caroli 4. Imp. sedes. Stendalium, quæ huius Marchiæ ciuitas primaria est. Est hic templum (Thunfist vocant) D. Nicolai Canonicorum regularium Ordinis Cisterciensium. Soltwedelum in duas ciuitates, Veterem & Nouam, diuisa. Gardesleben cum arce Eifchnippa vocata. Item Osterburgum, Werbum, Senohufum à Senonibus populis fortè sic nominatum. Minus celebra sunt Arnburgum cum arce ad Albim situm, Bisemarchum, Bostera, Bucka non procul ab Albi exædificatum, Kalba, & Nessinga, quam quoque Letzolingam appellant. Præter hæc habet septem monasteria cum sæcularibus iurisdictionibus vt plurimum opulenter dotata, aliæque mulierum cœnobia, vti sunt Arentsehum, Damka, Diestorfum, Krewela, & Niederffum. Latitudo huius longitudini par, octona Germanica millia non excedit; in eo tamen numerantur 465. non ignobiles pagi. Media Marchia ab altera Albi parte initium sumit, & extendit se ad Oderam & Sueuum (vulgò Spre) fluuios. Irrigatur Hauela, aliisque parui nominis riuis. A Sueuis olim habitata fuit. Ager est admodum fertilis, frumento in primis. Nemorum, piscinarum, & pascuorum copia. Vineta etiam habet, ab Alberto eius Marchione (cui Vrfus cognomen fuit) hic primum confita. Brandenburgum eius ciuitas princeps est; hanc Hauela fluuius in duas partes, Nouam & Veterem, dirimit; nomenque habet à Brandone Francorum quondam Duce. Hic totius regionis tribunal. Multa sunt huic vrbi priuilegia & immunitates, ab Imperatoribus, Regibus & Principibus olim ei concessa, cuius indicio est statua pedestris in Nouæ vrbs parte posita; gladium euaginatam dextra tenens, quam Rolandum ciues vocant. Non procul ab hac vrbe regiuncula est Hauellana, ab Hauela flumine, quod eam circuit, cognominata. Item Leninum Monasterium Cisterciensis ordinis. Brandenburgum sequitur Rathenauum ad Hauellam; Spandauum cum propugnaculo ad Sueuum fluium exstructo; deinde Colonia, & Berlinum, duo opida à Sueuo fluio ab inuicem separata. hic hodie Principis Aula. Berlinum, nomen sortitum ab Alberto Ber (id est Vrfus) cognominato, aut, vt alij malunt, ab vrfis feris hoc loco, cum eius fundamenta iacerentur, stabulantibus. Colonia, à carbonariis hic quondam magna frequentia habitantibus, vel potius à Latino vocabulo Colonorum, nuncupata videtur. Francofurtum ad Oderam, inter Hanseatici fœderis vrbes olim connumerata, quo nomine etiamnum nullum vectigal apud Lubecenses, aliasque huius fœderis ciuitates pendere dicitur. Ternis nundinis singulis annis frequens. Collegium siue Academia hic est, anno 1506. à Ioachimo Marchione eius nominis primo institutum. Prope huius vrbs Carthusianorum cœnobium riuis est, ex colle vitifero emanans, quicquid in eum inciderit, in lapidem indurescere compertum est. Alia præterea oppida sunt, vt Brietza, Fida cognomen habens; item Belitza, Bernauum vbi præstantissima ceruisia coquitur. Bellinum ad fluuiolum Rhenus dictum, hic traiectus est; Mittenwaldum, Monachobergum, Bisenthalum, Blumoberga, Brandeburgensis diocesis, Borzauum, cum arce; Falkenhagum, cum arce, Templariorum quondam statione, Fryenwaldum, & Oderobergum. Hic Marchio Albertus eius nominis secundus arcem in medio fluminis exstruxit, quo præternavigantes portorium soluere coguntur. Deinde Fridlandia, virginum cœnobium, cum vrbeclula; Frisachum, Brandeburgensis diocesis, Gereswaldum, Grimmitzum, Grunehyda, Grunewaldum, & Koppenicum, quatuor Principis viuarum, cum adiunctis arcibus. Hochelbergum pagus; Landsbergum, minus cognominatum; cum arce peruerteret, Lichenum opidulum; Liebenwaldum cum viuario; Nawena; Puttfamum opidulum cum arce; Neustadium, Eberswaldum, & non longè ab eo Chorum monasterium Cisterciensis ordinis, Mulrofa opidulum & pagus, Sarmundum, Sconbecum cum viuario, Stransberga, Trebinum, Bernauichum opidulum, Zendenichum Vestalium cœnobium; Zoffa opidulum cum arce, Stendelum, Suetum; Wruferum opidum non procul ab Odera fluio; Lietza, Selowium opidulum, multi que pagi & vici. Hæc Marchia Media continet 28. millia in longitudine, totidemque in latitudine.

Noua Marchia à Media disungitur Odera flumine, eo tractu quo Warta fluuius prope Costrinum aquas suas in illud exonerat. Hoc flumen Warta ex Polonia originem sumit; irrigatque hunc tractum ad Lansbergum urbem, Zandocum opidulum & Sonneburchum. Primi nominis vrbs in hac Marchia Costrinum est, à Marchione Ioanne Ioachimi primi filio restaurata, & maximis impensis munita, atque in Principis sedem delecta. Alia sunt Landsbergum ad Wartam, Regiomons, Bernwaldum, & Bernsteinum opidulum cum arce, Bernawicum, & Berlinum aut Nouum Berlinum opidum. Deinde Arnswaldum vrbs, Thamum opidulum, Soldinum quondam huius primaria vrbs, Furstenfeldum opidulum, Dramburgum, Driesennum, Falkenbergum vrbs cum arce, in Pomeranorum confinibus sita: item monasterium Vestalium Himelftetum dictum, Kalis pagus, Kartaw, Lepena, vrbeclula, Morgenwaldum cœnobium, Morinum opidulum, Nuburgus pagus, Nurnbergum, Reizcum cœnobio Rhodo, Quartzen nobilium ædes, Sciffelbennum opidum, optima ceruisia & armamentariis artificibus excellens. Præterea Ofemundum, Sconflies, Woldenbergum opidulum, Sciltbergum pagus, Zeden opidulum cum virginum cœnobio, & Zandocum opidulum ad Wartam fluuium. Circuitus huius Marchiæ Nouæ plus minus est 24. milliarum. Habet in vniuersum Marchia Brandeburgica cum iis regionibus quas eius iuris esse diximus, 55. insignes vrbes, 64. opida, 16. opidula, quæ *Marchflecken* vulgò vocant, 38. arces, siue nobilium ædes, 10. viuarum, 17. cœnobia, tam virorum quam mulierum. Coratium, aetiten, sciftum, aliasque non ignobiliores gemmas producit hæc regio. Hæc ex libello Germanico Wolfgangi Iobsti. Lector, si lubet, adde his quæ apud Irenicum & Munsterum sunt, & quæ nuper edidit Dauid Chytræus in suo Saxoniæ chronico.